

Non salvat impios, & pauperibus iudicium tribuit.... (6) Hi ergo recte sub generali iudicio non tenentur, sed iudices veniunt: quia & precepta generalia vivendo vicerunt, & omnibus relictis Christo secuti sunt...

De ordine iudicii, & ministerio Angelorum.

CUM autem in Evangelio Matth. xiii. 41. legatur, quod Dominus mittet Angelos suos, qui colligent de regno ejus omnia scandala, & mittent iniquos in caminum ignis: & iterum Matth. xxiv. 31. Mittet Angelos suos cum tuba, & congregabunt electos a quatuor ventis...

Si post iudicium demones praerunt hominibus ad puniendum.

ET solet quaeri, utrum in inferno malis ad puniendum praesint demones post iudicium, quos carnifices, omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Dum enim durat mundus Angeli Angelis, demones demonibus, homines hominibus praesunt; sed omnibus collectis jam omnis prelatio cessabit.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit Magister de remuneratio- ne animarum, & punitione, quae praecedit iudicium generale, hic incipit determinare de remun- ratione, & punitione quae erit per iudicium generale: & dividitur in partes duas. In prima determinat de ipso generali iudicio. In secunda determinat de remun- ratione, & poena quae generale iudicium consequitur, xlii. dist. ibi: Post resurrectionem vero facto im- pletoque iudicio, suos fines habebunt civitates duae. Pri- ma pars dividitur in duas. In prima determinat ea quae pertinent ad modum iudicii, & ad iudicis minis- terium. In secunda determinat ea quae pertinent ad iudicis personam, xlviii. dist. ibi: Solet etiam quaeri, in qua forma Christus iudicabit. Prima in duas. In prima enim requirit de iudicii modo; in secunda de iudicis ministris, ibi: Non autem solus Christus iudicabit. Et haec pars dividitur in tres. In prima enim os-

(6) Nicolai: Hi ergo in extremo iudicio non iudicantur, & regnant, qui cum auctore suo iudices veniunt: relinquentes quippe omnia, plus prompta devotione executi sunt quam, juberi generaliter audire, habes, &c. Et rursum mox. Hi ergo recte &c. (7) Nicolai: Et in fine capituli, (8) Al. deest huius. (9) Al. elementiae. (10) Al. constare.

Secundo. De iudicantibus cum Christo. Tertio. De his qui in iudicio iudicabuntur.

ARTICULUS I.

Utrum generale iudicium sit futurum.

III. P. quest. lxx. art. 5. & IV. cont. Genl.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod generale iudicium non sit futurum. Quia, ut dicitur Naum. i. 9. (2) Non iudicabit Deus vis in idipsum. Sed nunc Deus iudicat de singulis hominum operibus, cum post mortem unicuique poenas, vel praemia pro meritis tribuit, & dum etiam in hac vita quosdam pro bonis, vel malis operibus praemiatur, vel punit. Ergo videtur quod non sit aliud iudicium futurum.

Præterea, In nullo iudicio executio sententiae praecedit iudicium. Sed sententia civini iudicii quoad homines, est de iuditione regni, vel exclusione a regno, ut patet Matth. xxv. Ergo cum modo aliqui adispicantur regnum aeternum, & quidam excludantur ab ipso perpetuo, videtur quod aliud iudicium non sit futurum.

Præterea, Propter hoc aliqua in iudicium oportet adduci, quia dubium est quid de eis diffinendum sit. Sed ante finem mundi determinata est unicuique damnatorum sua damnatio, & cuique Sanctorum sua beatitudo. Ergo videtur quod non oporteat aliquod futurum iudicium esse.

Sed contra, Matth. xii. 41. dicitur: Viri Ninivae surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam. Ergo post resurrectionem aliquod iudicium erit.

Præterea, Joan. v. 29. dicitur: Proce- dent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae; qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii. Ergo videtur quod post resurrectionem aliquod iudicium sit futurum.

QUESTIUNCULA II.

Uterius. Videtur quod iudicium illud quantum ad disceptationem, & sententiam fiat per locutionem vocalem. Quia, ut dicit Augustinus XX. de civ. Dei (cap. i.) per quot dies hoc futurum iudicium tendatur, (3) incertum est. Sed non esset incertum, si illa quae in iudicio dicuntur futura, tantum mentaliter complerentur. Ergo iudicium illud vocaliter fiet, & non solum mentaliter.

Præterea, Gregorius dicit, & habetur in littera: Illi saltem verba iudicis audient (4) qui ejus fidem saltem verbo tenuerunt. Hoc autem non potest intelligi de verbo interiori; quod sic omnes verba iudicis audient; quia omnibus & bonis, & malis nota erunt omnia facta aliorum, sicut supra dist. xlii. dictum est. Ergo videtur quod iudicium illud vocaliter peragetur.

Præterea, Sicut in sequenti dist. dicitur, Christus secundum formam hominis iudicabit, in qua corporaliter ab omnibus possit videri. Ergo videtur eadem ratione quod corporali voce loquatur, ut ab omnibus audiat.

Sed contra, Augustinus dicit xx. de Civ. Dei, quod liber vitae, de quo Apocal. ix. vis quaedam in- In IV. Sent. Tom. V.

(2) Vulgata; non consurget duplex tribulatio. (3) Al. hoc incertum. (4) Al. qui ejus verbo fidem tenuerunt. (5) Vulgata, accusantibus, aut etiam defendentibus. (6) Vulgata non habet Nos sumus. (7) Al. ad meritum.

telligenda est divina, qua fiet ut unicuique opera sua vel bona, vel mala in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset, vel excuset scientia conscientiam; atque ita simul & omnes, & singuli iudicentur. Sed si vocaliter discurrentur merita singulorum, non possent omnes, & singuli iudicari simul. Ergo videtur quod illa discussio non erit vocalis.

Præterea, Sententia proportionaliter debet testimonio respondere. Sed testimonium, & accusatio vel excusatio mentalis erit: unde Rom. ii. 15. Testimonium illis reddente conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationum, (5) accusantium, aut etiam defendentium in die, cum iudicabit Deus occulta hominum. Ergo videtur quod illa sententia, & totum iudicium mentaliter expleatur.

QUESTIUNCULA III.

Uterius. Videtur quod tempus futuri iudicii non sit ignotum. Sicut enim sancti patres expectabant primum adventum, ita & nos expectamus secundum. Sed sancti patres sciverunt tempus adventus primi, sicut patet per numerum hebdomadarum quae describuntur Dan. ix. unde & reprehenduntur Judaei, quod tempus adventus Christi non cognoverunt, ut patet Luc. xii. 56. Hypocritae, faciem caeli, & terrae nostis probare; hoc autem tempus quomodo non probatis? Ergo videtur quod etiam nobis esse debeat determinatum tempus secundi adventus, quo Deus ad iudicium veniet.

Præterea, Per signa devenimus in cognitionem signatorum. Sed de iudicio futuro multa signa nobis in Scriptura ponantur, ut patet xxii. Matth. & xxi. Lucae & xii. Marci. Ergo in cognitionem illius temporis possumus pervenire.

Præterea, Apostolus dixit I. Cor. x. 11. (6) Nos sumus in quos fines saeculorum decernerunt: & I. Joan. ii. 18. Filiioli, novissima hora est etc. Cum ergo jam longum tempus transierit ex quo haec dicta sunt, videtur quod saltem nunc scire possumus quod ultimum iudicium sit propinquum.

Præterea, Tempus iudicii non debet esse occultum, nisi propter hoc quod quilibet sollicitus se ad iudicium praeparet, dum determinate tempus ignorat. Sed eadem sollicitudo remaneret, etiam si certum esset: quia quicumque incertum est tempus suae mortis, & sicut dicit Augustinus in epistola ad Hesyrium lxxx. in quo quomque invenerit suis novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies. Ergo non est necessarium tempus iudicii esse occultum.

Sed contra est quod dicitur Marc. xii. 32. De die illa, vel hora nemo scit, nec Angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater. Dicitur autem Filius nescire, in quantum nos scire non facit.

Præterea, I. Thessal. v. 2. Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Ergo videtur, cum adventus furis in nocte sit omnino incertus, quod dies ultimi iudicii sit omnino incertus.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod sicut operatio pertinet ad rerum principium quo producuntur in esse, ita iudicium pertinet (7) ad ultimum rerum. Quomodo loquatur, ostendat ad

(7) Al. ad meritum.

ad terminum, quo res ad suum finem perducuntur. Distinguitur autem duplex Dei operatio. Una qua res primitus in esse producit, instituens naturam, & distinguens ea quae ad completionem ipsius pertinent: a quo quidem opere Deus dicitur quiescisse Genes. 1. Alia eius operatio est qua operatur in gubernatione creaturarum, de qua Joan. v. 17. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*: haec etiam duplex iudicium distinguitur, ordine tamen converso. Unum quod respondet operi gubernationis, quae sine iudicio esse non potest: per quod quidem iudicium unusquisque singulariter pro suis operibus iudicatur non solum secundum quod sibi competit, sed secundum quod competit gubernationi universi: unde differtur unius praemio pro utilitate aliorum, ut dicitur Hebr. xi. & poenae unius ad profectum alterius cedunt: unde necesse est ut sit aliquod iudicium universale correspondens ex adverso primae rerum productioni in esse, ut videlicet sicut tunc omnia processerunt immediate a Deo, ita tunc ultima completio mundo detur, unoquoque accipiente finaliter quod ei debetur secundum seipsum: unde in illo iudicio apparebit manifeste divina iustitia quantum ad omnia quae hinc ex hoc occultantur quod interdum de uno disponitur ad utilitatem aliorum aliter quam manifesta opera exigere videantur: unde etiam & tunc erit universalis separatio bonorum a malis, quia ulterius non erit locus ut mali per bonos, vel boni per malos proficiant; propter quem profectum intermixti inveniuntur boni malis, quoad usque status huius vitae per divinam providentiam gubernatur.

Ad primum ergo dicendum, quod quilibet homo & est singularis quaedam persona, & est pars totius humani generis: unde & duplex ei iudicium debetur. Unum singulare, quod de eo fiet post mortem, quando recipiet iuxta ea quae in corpore gessit, quamvis non totaliter, quia non quoad corpus, sed quoad animam tantum. Aliud iudicium debet esse de eo secundum quod est pars totius humani generis, sicut aliquis iudicari dicitur secundum humanam iustitiam etiam quando iudicium datur de communitate, de cuius ipse est pars: unde & tunc quando fiet universale iudicium totius humani generis per universalem separationem bonorum a malis, etiam quilibet per consequens iudicabitur. Nec tamen Deus bis iudicat in idipsum: quia non duas poenas pro uno peccato infert: sed poena quae ante iudicium complete inflictata non fuerat, in ultimo iudicio complebitur; post quod impii cruciabuntur quoad corpus, & animam simul.

Ad secundum dicendum, quod propria sententia illius generalis iudicii est universalis separatio bonorum a malis, quae illud iudicium non praecedet. Sed nec etiam quoad particularem sententiam uniuscuiusque plene praecessit iudicii effectus: quia etiam boni amplius post iudicium praemiabuntur, tum ex gloria corporis adjuncta, tum ex numero Sanctorum completo; & mali etiam amplius torquebuntur adjuncta plena corporis, & impleto in poenis numero damnatorum: quia quanto cum pluribus ardebunt, tanto plus ardebunt.

Ad tertium dicendum, quod universale iudicium, ut dictum est, magis directe respicit utilitatem hominum quam singulos iudicandorum. Quamvis ergo cuiuslibet homini ante iudicium sit certa notitia de sua damnatione, vel praemio; non tamen omnibus om-

(8) Al. requiritur.

nium damnatio, vel praemium innotescet; unde iudicium necessarium erit.

SOLUTIO II.

Ad secundam quaestionem dicendum, quod quid sit verum circa hanc quaestionem, diffiniri pro certo non potest; tamen probabilius aestimatur quod totum illud iudicium & quoad discussionem, & quoad accusationem malorum, & commendationem bonorum, & quoad sententiam de utrisque, mentaliter perficietur. Si enim vocaliter singulorum facta narrarentur, inestimabilis magnitudo temporis ad hoc exigere, sicut etiam Augustinus XX. ad civ. Dei dicit, quod si liber ex cuius scriptura omnes iudicabuntur, ut dicitur Apoc. ix. carnaliter cogiteretur, quis eius magnitudinem, aut longitudinem valeat aestimare; aut quanto tempore legi poterit liber, in quo scriptae sunt universae vitae universorum? Non autem minus tempus requiritur ad narrandum ortus singulorum facta, quam ad legendum, si essent in libro materiali scripta. Unde probabile est quod illa quae dicuntur Matth. xxv. non vocaliter, sed mentaliter intelligenda sint esse perficienda.

Ad primum ergo dicendum, quod pro tanto dicit Augustinus quod incertum est per quot dies hoc iudicium tendatur, quia non est determinatum utrum perficiatur vocaliter. Si enim vocaliter perficeretur, prolixum tempus ad hoc (8) requireretur; si autem mentaliter, in momento fieri poterit.

Ad secundum dicendum, quod etiam si iudicium fiat mentaliter, tamen verbum Gregorii salvari potest: quia etsi omnibus innotescant sua, & aliorum facta, divina virtute hoc faciente, quae in Evangelio locutio dicitur; tamen illi qui fidem habuerunt, quam ex verbis Dei conceperunt, ex ipsis verbis iudicabuntur: quia ut dicitur Rom. 11. 12. *qui in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur*. Unde & quodam speciali modo dicitur aliquid his qui fuerunt fideles, quod non dicitur his qui fuerunt infideles.

Ad tertium dicendum, quod Christus corporaliter apparebit, ut ab omnibus iudex corporalis cognoscatur; quod quidem subito fieri poterit. Sed locutio quae tempore mensuratur, requireret immensam temporis prolixitatem, si vocali locutione iudicium perageretur.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quaestionem dicendum, quod Deus per scientiam suam est causa rerum. Utrumque autem creaturis communicat, dum & rebus tribuit virtutem agendi alias res, quarum sit causa, & quibusdam etiam rerum cognitionem praebet; sed in utroque aliqua sibi reservat. Operatur enim quaedam in quibus nulla creatura ei cooperatur, & similiter cognoscit quaedam quae a nulla pura creatura cognoscuntur. Haec autem nulla alia magis esse debent quam illa quae soli divinae subjacent potestati, in quibus ei nulla creatura cooperatur; & huiusmodi est finis mundi, in quo erit dies iudicii. Non enim per aliquam causam creatam mundus finietur, sicut etiam & mundus esse incepit immediate a Deo: unde dicitur, quod cognitio finis mundi soli Deo reservatur. Et hanc rationem ipse Dominus videtur assignare Act. 1. 7. *Non est, inquit, vestrum nosse tempora, vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate*; quasi dicat, quae soli potestati eius reservata sunt.

Ad

Ad primum ergo dicendum, quod in primo adventu Christus venit occultus secundum illud Isai. XLV. 15. *Vene tu es Deus absconditus, Sanctus Israel Sator*: & ideo ut a fidelibus cognosci posset, oportuit determinate tempus praedeterminare. Sed in secundo adventu venit manifestus, ut dicitur in Psalm. XLIX. 3. *Deus manifeste veniet etc.* & ideo circa cognitionem adventus ipsius error esse non poterit: propter quod non est simile.

Ad secundum dicendum, sicut dicit Augustinus in epistola (LXXVIII, & LXXX.) de die iudicii ad Hesychium. Signa quae in Evangelii ponuntur, non omnia pertinent ad secundum adventum, qui erit in fine; sed quaedam eorum pertinent ad tempus destructionis Hierusalem, quae jam praeterit; quaedam vero, & plura eorum pertinent ad adventum quo quotidie ad Ecclesiam suam venit, eam spiritualiter visitans, prout inhabitat nos per fidem, & amorem; nec illa quae in Evangelii, vel in epistolis ponuntur ad ultimum adventum spectantia, ad hoc possunt valere ut determinate tempus iudicii possit cognosci, quia illa pericula quae praenuntiant nuntiantia vicinum Christi adventum etiam a tempore primitivae Ecclesiae fuerunt, quandoque intensius, quandoque remissius: unde & ipsi dies Apostolorum dicuntur novissimi dies, ut patet Act. 11. 17. ubi Petrus exponit illud verbum Joel. 11. 28. *Erit in novissimis diebus, effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiae vestrae*: pro tempore illo; & tamen ex illo tempore tempus plurimum transivit, & quandoque plures, & quandoque pauciores tribulationes in Ecclesia fuerunt. Unde non potest determinari tempus quantum sit futurum, nec de mense, nec de anno, nec de centum, nec de mille annis, ut Augustinus in eodem Lib. (1) dicit. Et si credatur in fine huiusmodi pericula magis abundare, non tamen potest determinari quae sit illa quantitas periculorum quae immediate diem iudicii praecedet, vel Antichristi adventum, cum circa tempora primitivae Ecclesiae fuerint persecutiones aliqua adeo graves, & corruptiones errorum adeo abundarent, quod aliquibus tunc vicinis expectaretur, vel imminens Antichristi adventus, sicut dicitur in ecclesiastica Historia, & in Lib. Hieronymi de viris illustribus.

Ad tertium dicendum, quod ex hoc quod dicitur, *Novissima hora est*, vel ex similibus locutionibus quae in Scriptura dicuntur, non potest aliqua determinata quantitas temporis sciri. Non enim est dictum ad significandum aliquam brevem horam temporis, sed ad significandum novissimum statum mundi, qui est quasi novissima aetas; quae quanto temporis spatio duret, non est diffinitum; cum etiam nec senio, quod est ultima aetas hominis, sit aliquis terminus certus praefinitus, cum quandoque inveniatur durare quantum omnes praecedentes aetates, vel plus, ut dicit Augustinus in Lib. LXXXI. Quast. quast. LVIII. unde etiam & Apostolus II. Thessal. 11. excludit falsum intellectum quem quidam ex illis verbis conceperant, ut crederent diem Domini jam instare.

Ad quartum dicendum, quod etiam supposita mortis incertitudine, dupliciter ad vigilantiam valet incertitudo iudicii. Primo ad hoc quod ignoratur utrum etiam differatur tantum quantum est hominis vita, ut sic ex duabus paribus incertitudo maiorem diligentiam faciat, secundo quantum ad hoc quod homo non gerit solum sollicitudinem de persona sua; sed de

In IV. Sent. Pom. V.

(1) Al. omittitur dicit. (2) Forte alii, vel alteri.

familia, vel civitate, vel regno, aut tota Ecclesia, cui non determinatur tempus durationis secundum hominis vitam; & tamen oportet utrumque horum hoc modo disponi, ut dies Domini non inveniatur imparatos.

ARTICULUS II.

Utrum aliqui homines iudicabuntur cum Christo.

1. AD secundum sic proceditur. Videtur quod nulli homines iudicabuntur cum Christo. Quia Joan. v. 22. *Pater omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*. Sed honorificentia talis non debetur (2) alicui quam Christo. Ergo &c.

2. Praeterea. Quicumque iudicat, habet potestatem super illud quod iudicat. Sed ea de quibus debet esse futurum iudicium, sicut merita, & praemia humana, soli divinae auctoritati subsunt. Ergo nulli competit de his iudicare.

3. Praeterea. Iudicium illud non exercebitur vocaliter, sed mentaliter, ut probabilius aestimatur. Sed hoc quod cordibus hominum notificentur merita, & demerita, quod est quasi accusatio, vel commendatio, vel retributio poenae, & praemii, quod est quasi sententiae prolatio, sola divina virtute fiet. Ergo nulli alii iudicabunt nisi Christus, qui est Deus. Sed contra est quod dicitur Matth. 11. 28. *Sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel*.

Praeterea. Isai. 111. 14. *Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui*. Ergo videtur quod etiam alii iudicabunt cum Christo.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod iudiciaria potestas non respondeat voluntariae paupertati. Hoc enim solum duodecim Apostolis promissum est Matth. 11. 28. *Sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel*. Ergo cum non omnes voluntarie pauperes sint Apostoli, videtur quod non omnibus iudiciaria potestas respondeat.

2. Praeterea. Majus est offerre sacrificium Deo de proprio corpore quam de exterioribus rebus. Sed martyres, & etiam virgines offerunt de proprio corpore sacrificium Deo; voluntarie autem pauperes de exterioribus rebus. Ergo sublimitas iudiciariae potestatis magis respondet martyribus, & virginibus quam voluntarie pauperibus.

Praeterea. Joan. v. 45. *Est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis*: Glossa: quia voci eius non creditis: & Joan. 11. 48. *Sermo quem locutus sum ille iudicabit eum in novissimo die*. Ergo ex hoc quod aliquis proponit legem, vel verbum exhortationis ad instructionem morum, habet quod iudicet contententes; sed hoc est doctorum. Ergo doctoribus magis competit quam pauperibus.

4. Praeterea. Christus ex hoc quod injuste iudicatus est in quantum homo, meruit ut sit iudex omnium in natura humana: unde Joan. v. 27. *Potestatem dedit ei iudicari facere, quia Filius hominis est*. Sed qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, injuste iudicantur. Ergo iudiciaria potestas magis eis quam pauperibus competit.

In IV. Sent. Pom. V.

(1) Al. omittitur dicit. (2) Forte alii, vel alteri.